



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia**

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta  
Complectens Primam Secundæ, & Secundam Secundæ Summæ  
Theologiæ

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Venetiis, 1593**

3 Vtrum sit aliqua lex humana.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72759](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72759)

si videri, & aliis pronis. Vnde & in ipsa participatur ratio aeterna, per quam habet naturalem inclinationem ad debitum actum, & finem. Et talis participatio legis aeternae in rationali creatura, lex naturalis dicitur. unde dicitur Psal. dixit: Sacrificatio sacrificium iustitiae, quasi quibusdam quarentibus, quae sunt iustitiae opera subiungit. Multi dicunt, quis ostendit nobis bona? cui quaestioni respondens dicit: Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, quasi lumen rationis naturalis, quo discernimus quid sit bonum, & quid malum, quod pertinet ad naturalem legem, nihil aliud sit quam impressio diuini luminis in nobis. unde patet, quod lex naturalis nihil aliud est, quam participatio legis aeternae in rationali creatura.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod ratio illa procederet, si lex naturalis esset aliquid diuersum a lege aeterna, non autem est nisi quaedam participatio eius, ut \* dictum est.

AD SECUNDUM dicendum, quod omnis operatio rationis, & uoluntatis deriuatur in nobis ab eo quod est secundum naturam, ut \* supra habitum est. Nam omnis ratiocinatio deriuatur a principiis naturaliter notis: & omnis appetitus eorum quae sunt ad finem, deriuatur a naturali appetitu ultimi finis; & sic etiam oportet quod prima directio actuum nostrorum ad finem, fiat per legem naturalem.

AD TERTIUM dicendum, quod etiam animalia irrationalia participant rationem aeternam suo modo, sicut & rationalis creatura: sed quia rationalis creatura participat eam intellectualiter, & rationaliter, ideo participatio legis aeternae in creatura rationali proprie lex uocatur. nam lex est aliquid rationis, ut \* supra dictum est in creatura autem irrationali non participatur rationaliter, unde non potest dici lex, nisi per similitudinem.

ARTICVLVS III.

*Utrum sit aliqua lex humana.*

AD TERTIUM sic proceditur. Videtur quod non sit aliqua lex humana. Lex enim naturalis est participatio legis aeternae, ut \* dictum est; sed per legem eternam omnia sunt ordinatissima, ut \* Augustinus dicit in primo de lib. arb. ergo lex naturalis sufficit ad omnia humana ordinanda, non est ergo necessarium quod sit aliqua lex humana.

2<sup>a</sup> Praet. Lex habet rationem mensurae, ut \* dictum est: sed ratio humana non est mensura rerum, sed potius e conuerso, ut in decimo Meraphys. dicitur. ergo ex ratione humana nulla lex procedere potest.

3<sup>a</sup> Praet. Mensura debet esse certissima, ut dicitur in 10. metaph. sed dictamen humanae rationis de rebus gerendis est incertum, sicut illud Sap. 9. Cogitationes mortalium timidae, & incertae prouidentiae nostrae. ergo ex ratione humana nulla lex procedere potest.

SED CONTRA est, quod \* Augustinus in primo de lib. arb. ponit duas leges, unam eternam: & aliam temporalem, quam dicit esse humanam.

RESPOND. Dicendum, quod sicut \* supra dictum est, lex est quoddam dictamen practicae rationis. Similis autem processus esse inuenitur rationis practicae, & speculatiuae: utraque enim ex quibusdam principiis ad quoddam conclusionem procedit, ut \* superius habitum est. Secundum hoc ergo dicendum est, quod sicut in ratione speculatiua ex principiis indemonstrabilibus naturaliter cognitis producuntur conclusiones diuersarum scientiarum, quarum cognitio non est nobis naturaliter indita, sed per industriam rationis inuenta: ita etiam ex preceptis legis naturalis, quasi ex quibusdam principiis communibus & indemonstrabilibus, necesse

est quod ratio humana procedat ad aliqua magis particulariter disponenda, & ista particulares dispositiones adinuenit secundum rationem humanam dicuntur leges humanae obseruatis aliis conditionibus, quae pertinent ad rationem legis, ut \* supra dictum est. Vnde \* Tullius dicit in sua Rhet. quod iurium iuris est a natura profectum, deinde quaedam in consuetudinem ex utilitate rationis uenerunt, postea res a natura profectas, & a consuetudine probatas legum metus, & religio sanxit.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod ratio humana non potest participare ad plenum dictamen rationis diuinae, sed suo modo & imperfecte. Et ideo sicut ex parte rationis speculatiuae per naturalem participationem diuinae sapientiae inest nobis cognitio quorundam communiu principiorum, non autem cuiuslibet uentris propria cognitio, sicut in diuina sapientia continetur, ita etiam ex parte rationis practicae naturaliter homo participat legem aeternam secundum quaedam communia principia, non autem secundum particulares directiones singulorum, quae tamen in aeterna lege continentur, & ideo necesse est ulterius, quod ratio humana procedat ad particulares quaedam legum sanctiones.

AD SECUNDUM dicendum, quod ratio humana secundum se non est regula rerum, sed principia ei naturaliter indita, sunt regulae quaedam generales, & mensura omnium eorum quae sunt per hominem agenda, quorum ratio naturalis est regula, & mensura, licet non sit mensura eorum, quae sunt a natura.

AD TERTIUM dicendum, quod ratio practica est circa operabilia, quae sunt singularia, & contingentia, non autem circa necessaria, sicut ratio speculatiua, & ideo leges humanae non possunt illam infallibilitatem habere, quam habent conclusiones demonstratiuae scientiarum. Nec oportet, quod omnis mensura sit omnimodo infallibilis, & certa, sed secundum quod est possibile in genere suo.

ARTICVLVS IIII.

*Utrum fuerit necessarium esse aliquam legem diuinam.*

AD QUARTUM sic procedit. Videtur, quod non fuerit necessarium esse aliquam legem diuinam, quia, ut \* dictum est, lex naturalis est quaedam participatio legis aeternae in nobis, sed lex aeterna est lex diuina, ut \* dictum est. ergo non oportet quod praeter legem naturalem, & leges humanas abe deriuatas, sit aliqua alia lex diuina.

2<sup>a</sup> Praet. Eccl. 15. dicitur, quod Deus dimisit hominem in manu consilii sui, consilium autem est actus rationis, ut \* supra habitum est. ergo homo dimissus est gubernationi suae rationis, sed dictamen rationis humanae est lex humana, ut \* dictum est. ergo non oportet quod homo alia lege diuina gubernetur.

3<sup>a</sup> Praet. Natura humana est sufficientior irrationalibus creaturis, sed irrationales creature non habent aliquam legem diuinam praeter inclinationem naturalem eis inditam. ergo multo minus creatura rationalis debet habere aliquam legem diuinam praeter naturalem legem.

SED CONTRA est, quod Dauid expetit legem a Deo sibi poni, dicens 117. Psalm. Legem pone mihi, Domine, in uia iustificationum tuarum.

RESPOND. Dicendum, quod praeter legem naturalem, & legem humanam, necessarium fuit ad directionem humanae uitae habere legem diuinam, & hoc per quatuor rationes.

q. prac. per totam. Dullius li. 2. de inuent. in fol. 4. ante finem lib.

1. q. 7. art. 7. & 3. q. 60. ar. 5. ad 3. Et 3. d. 37. ar. 1. Et No. 8. h. Ar. 3. art. 1.

q. 14. art. 5. Art. prac.